



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

93. Fer. 3. Qui reduci à Deo nolunt, permittuntur voluntati suæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 3. Dom. 3. Quadrag. 153

lorem usque ad canitiem, & immaturam inducit senectam, juxta illud: Ps. 60. *In veterari inter omnes inimicos meos.* D. Paschasius in illud: *Transseat à me calix iste, ait Christus rogasse, ne per manus Iudeorum fiat.*

MEDITATIO XCIII.

Feria 3. Dom. 3. Quadrag.

*Qui reduci à DEO nolunt, permittuntur voluntati suæ.*

**A**spiciam Christum inter medias mortes quoad se imperterritum, respectu tamen turbæ commotum pietate, nitendo eos reducere, sed dum conatum elidunt, permittit eos voluntati suæ. Petam agnoscere & semper sequi Dominum corripientem.

*Conf. 1.* Quòd non possit bene esse illi, qui à bono se elongat: qui enim à veritate abit, quantumcunque levi motu deijcitur: debilitat culpa vires animi, & corporis: cœptum peccatum magnà contentione impij prosequuntur: mala autè consuetudo penè incurabilis. A Christo abijisse, & perijsse nec uno passu distant. Christus solus in via est, quæ latronem non habet. O sequar te semper, quoquò eas, quoquò ducaris.

*Conf. 3.* Quomodo ad reducendum satellites illos 1. terrore sternat dicendo: *Ego sum: quod ut dixit eis, abierunt retrorsum, &*

*¶*

*¶*



154 Feria 3. Dom. 3. Quadrag.

eciderunt in terram. Ioan. 18. Initium enim Spiritus Domini est timor. 2. Tam suaviter eos de tribus reprehendit. 1. quod injuriose Tanquam ad latronem (cujus officium nocere, & latitare) existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me. Stultum ita quærere ultro se tradentem. 2. Quod ingrati: Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Non ausi erant in templo tenere propter turbam, ideo Dominus, ut capi posset, foras exiit. 3. Quod cæci ad duplex miraculum non agnoscant suam ipsorum impotentiam.

Conf. 3. Videns Dominus se canere surdis, absolute dicit, Si ergo me queritis, &c. Si ita percussi non doluistis, me quidem comprehendite. Pharmaca maxime salubria, nisi profint, plerumque maxime nocent. Noluerunt sempiternum diem in membris humanis occultatum sequi, traditi sunt potestati tenebrarum ignorantia, & Diabolorum, ait S. Cyrillus. Examinabo me, an sic quæram Christum, ut si inveniam inter paupertatem, fatigationes, jejunia, poenitentias, spinas, clavos, crucem, mortes, quasi durus hic esset sermo, abeat retrosum, & cadam in terram, quia vix quaeritur JESVS propter JESVM,

ME